

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertatio Ivlris Civilis Peri Apokryxes Sev De Abdicatione Ad Leg. VI. Cod. De Patr. Potestat.

Lipsiae: Ex Officina Langenhemiana, [1753?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870657976>

Druck Freier  Zugang






K.K. — 1 (49.)

57 Nüd 8

H. Breunigii Dissertationes
et Programmata.

XLIX.



16.

~~77~~

DISSERTATIO IVRIS CIVILIS
ΠΕΡΙ
ΑΠΟΚΗΡΥΞΕΩΣ
S E V
D E
A B D I C A T I O N E
AD LEG. VI COD. DE PATR. POTESTAT.

Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENRICO
B R E V N I N G
I N AVDITORIO PETRINO
DIE XIII. MARTII ANNO CICCCCLIII.
DEFENDET
CHRISTIANVS HENRICVS KLESEL
ZITTAVIENSIS LVSATVS.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

PIASZTATIS TAVRIS CIVITATI
NEPPI
ΑΝΟΚΗΠΥΞΕΩΣ
ABDICATIOINE
AD HIC AI COD DE SVIL MORTUAT
MULATRIS ICHOTRUM ORDINIS GRATA
PRAEVIDAS
D CHRISTIANO HENRICO
BREVI NITIE
IN AVADICATIO RETRINO
DE MUL MARTI VANO CIVICISSIMA
DE ELEGANTIA
CHRISTIANVS HENRICVS KIPPER
TITULATUR
DIPLOMA
EX DIPLOMATE
TITULATUR

V I R I S
M A G N I F I C I S
C O N S V L T I S S I M I S E X C E L L E N T I S S I M I S
A M P L I S S I M I S P R V D E N T I S S I M I S

C O N S V L I B V S
S Y N D I C O
P R A E T O R I B V S
A S S E S S O R I
S C A B I N I S
R E L I Q V I S Q V E
S E N A T O R I B V S
M E R I T I S S I M I S
C E L E B E R R I M A E
Z I T T A V I E N S I V M
C I V I T A T I S

P A T R O N I S S V I S C O L E N D I S

VIRIS
MAGNIFICIS
CONSULTISSIMIS EXCELENTEISSIMIS
AMPFISSIMIS PRUDENTISSIMIS

CONSULIBVS
SYNDICO
PRAETORIBVS
ASSESSORI
SCABINIS
RELIQVIA
SENATORIBVS
MATERIALISSIMIS
CERUMARIA
CIVITATIBVS
PATRONIS SVIS COPENDIIS

VIRI
MAGNIFICI
CONSULTISSIMI EXCELLENTISSIMI
AMPLISSIMI PRUDENTISSIMI

PATRONI OMNI OBSEQUIO
COLENDI

NOMINIBAS VESTRIS

*G*ratia VESTRA, VIRI MAGNIFICI, CONSULTISSIMI, PRUDENTISSIMI, tanta est, ut nullus dubitem, ad eam accedere, atque per eam VESTRVM implorare arbitrium. Offero VOBIS primum studiorum meorum academicorum publicum specimen, et ut eorundem rationem officiosissime reddam, et ut pietati meae meoque demum obsequio satisfaciam. Obstrictum me ad hoc peragendum iudicabam et nisi gratia VESTRA plane singularis mihi animum addidisset, facile detineri potuisssem, fretus tamen ea ipsa gratia iudicio VESTRO summo meorum studiorum primitias sacras esse volui. Si quid est, quod opto, id unum erit, ut meae pietatis documentum gratiōe accipere

A 3

meorum-

meorumque studiorum rationes approbare velitis.
Felix ero, si huius voti mei compos factus fuero,
cui hoc iungo votum, ut **SVMVM NVMEN**
VOS saluos et incolumes **VESTRAS QVE**
FAMILIAS SPLENDITISSIMAS sospites
et florentes ad sera tempora esse iubeat. Cum
sola pietas meorum votorum ratio sit, non dubito,
quin **D E V S** me eorum compotem faciat, eoque
facto gloriae mihi erit, si diutissime permanebo

NOMINIBVS VESTRIS
MAGNIFICIS CONSVLTISSIMIS
EXCELLENTISSLIMIS AMPLISSLIMIS
PRVDENTISSLIMIS

Dabam
Lipsiae d. XIII. Mart.
CICICCLIII.

DEDITISSIMVS

CHRISTIANVS HENRICVS KLESEL
R E S P O N D E N S.



ΠΕΡΙ
ΑΠΟΚΗΡΥΞΕΩΣ

SE V

DE

A B D I C A T I O N E

AD LEG. VI. C. DE PATR. POTEST.

C A P V T I.

Voluit vniuersi conditor, ut homines per viam naturae producerentur, quo finem, quem in creando orbe sibi posuerat, obtineret. Indidit stimulum videlicet libidinem, quo faciliores homines ad naturae opus subeundum fierent. Sed cum iusti lex non aequae procreatae soboli ius perfectum daret, ut aleretur et educaretur, addidit *sophyν*, quam cum brutis communem haberent homines, vti ipsius naturae stimulum. Fuit hic naturae amor vera causa, vt personae illae generantes concipientesque non tantum in societate pacto inita persisterent et procreatam sobolem enutrirent, sed et non prius ex suis fedibus et a se expellerent, quam vbi eandem viderent satis ad sua sibi paranda alimenta habilem. Edocuit de-

mum,

mum, cum non tantum voci legis naturae parerent homines, sed et suasionibus ethicis obsequerentur, ea ipsa ethica eos, vt suos secum retinerent liberos, cumque vitae confortio magis vterentur, hos, quos ex se procreauerant, magisque propter educationis beneficium imperfecte saltem obligatos putabant, socios caperent. Haec ipsa societas, quae sic inter generantes et generatos orta quamque posterior aetas *familiam* appellavit, tacito, vt plerisque videtur, nitebatur pacto. Poterant enim obsequio et societati parentum se subtrahere liberi, cum id iusti lex non impediret, at vbi in societate illa permanebant, quod ipsis licuerat, cum nec hoc natura prohibebat, tacite seu facto consentiebant. Sed si id pactum sit tacitum, eo usque ius quoddam dabit parentibus, obsequium et reuerentiam exigendi, quousque tacite consentiunt. Iam vero si ipsis societas displicet, licite discedunt a societate et hoc facto cessat ius, quod parentes obtinuerant exigendi reuerentiam et obsequium.

Licet quidem primum natura per legem pacis cultum iniungat, commendauit sese tamen socialitas, non vt inde actionum iustitia diiudicaretur, sed commoda ex socialitate prouenientia tot societatum causa fuit, vt sic ab ea vita recederent, quae ad solas leges naturae composita videbatur. Factum quoque id in familiarum origine. Commoditatis studium suadebat parentibus, quos morum cultus emolliuerat, praeter *sogyn* naturalem, vt suos liberos secum retinerent, sed et suadebat, vt liberi in coniunctu parentum persisterent. Fuere in illa societate primum parentum iura cum liberis aequalia, nec lex naturae imperium nec obsequium exigebat, quippe quae lex omnibus aequalia dederat iura. Morum tamen regulae postea excultae, quas nunquam naturae conditor frustra rationi hominum implantauerat, quaeque tantum ad beatam vitam conferunt; docuere liberos alimenta atque educationem a parentibus nullo iure adhuc cogente perceptam, exigere gratitudinem, reuerentiam atque obsequium. Docuere haec ipsae regulae parentes, posse se a liberis ob educationem et alimenta praestita,

praestita, reuerentiam obsequium gratumque expectare animum. Auxilio venit his obligationibus imperfectis impetus quidam naturae, amorem dicas, quem tamen ipsae morum regulae excitasse videbantur. Cumque tandem vera inter eos societas orta, is, qui causa fuerat illius societatis munitus tot tantisque adiumentis ex morum cultura haustris, adfectauit ius quoddam curandi ipsam societatem, determinandi dirigendique actiones sociorum suorum in societatis suae commodum et emolumentum. Auxit demum, cum plures sese coniunxerint pacto familiae ciuitatemque efformauerint, quaevis ciuitas parentum quoque iura maxime ex causis politiae cuiusvis quoque ciuitatis. Ea, quae antea iura imperfecta videbantur, lex ciuilis demum fecit perfecta. Iniunxit ciuitas liberis perfectas obligationes, quae in parentibus perfecta produxit iura. Sed haec omnia iura et obligationes quaevis respublica ad singulares rationes composuit. Sic mihi videtur orta esse patria potestas; tamen cuius liberum relinquam iudicium si forsan minus recte coniecerim. Duxit me in hanc sententiam, quod prope apud omnes, quantum constet, gentes potestas quaedam parentibus data fuerit, licet illa non semper vbiique eadem fuerit, sed aliis maior, aliis vero restrictior.

Cognita fuit patria potestas populo Iudaico, cuius iura nuper exposuit *Perillust. Georg. Christ. GEBÄVERVS.*¹⁾ Imo si vel nulla alia probandi argumenta adessent, posset probari ex *Lege I. Tabul. II. Iuris Mosaici*, quae parentibus ius dat exigendi reuerentiam et obsequium, quod posterius inuoluit ius parentibus competens dirigendi actiones liberorum, quae vnica Lex est sanctione poenali quodammodo munita. Tantam vero Iudeis ex suo iure fuisse potestatem, quantam parentibus lex Romana concessit, id me fugit, nisi singularis accederet contumacia, quam MOISES ultimo suppicio puniendam arbitratur. Neque ignorauere Graeci parentum liberorumque mutuas obligationes et iura, quae alias sub patria potestate continentur. Erat in illis parentum iuribus hoc,

vt,

1) GEBÄVERVS *diff. II. de Patria Potestate.*

B

ut, si egerent, a liberis essent alendi. In hunc enim modum liberos lex SOLONIS teste Sam. PETITO^{b)}) obligauerat. Ο τοὺς γονέας τύπτων, οὐ μὴ τρέφων, οὐ μὴ παρέχων σιμησιν καὶ τὰ ἐπιτήδεια, ἄτιμος ἔσω. i. e. Si quis parentes pulsauerit, aut non aluerit, aut tectum ad habitandum ceteraque necessaria non praebuerit, infamis esto. Quodsi vero infamiam liberi sibi contraherent non praestitis parentibus alimentis, id prius fieri non poterat, quam si parentes ex sua parte officio suo pietatique satisfecissent. Consistebat vero hoc officium et in hoc, ut liberos artes docerent cuiusvis conditioni conuenientes. Ita enim statuit SOLON teste EODEM: Τιῷ τρέφειν τὸν πατέρα μὴ διδάξαμενον τέχνην ἐπανάγνεις μὴ ἔωσι. i. e. Filius, quem pater artem non docuerit, alere obstrictus ne esto. Et quo facilius parentes scirent, quas artes docerent liberos, Lege determinauit hunc in modum. Τοὺς παιδας διδάσκεσθαί πρῶτον νεῦ τε καὶ γράμματα καὶ τοὺς μὲν ὑποδεέσερον πράττοντας, ἐπειτα περὶ τὰς γεωργίας, καὶ τὰς ἐμπορίας, καὶ τὴν τέχνην. τοὺς δὲ βίον īnāvōν υεπημένους περὶ τε μουσικὴν, καὶ ἵππικὴν, καὶ τὰ γυμνάσια, καὶ τὰ μυηγέσια, καὶ τὴν Φιλοσοφίαν διατρίβεω. Interpretatur Petitus: *Pueri natare et literas primum docentur.* Tenuiores deinde ruri opus facere, aut peregre ad mercaturam ire, aut artem exercere: Honestiores autem in musicis, in re equestri, in Gymnicis, ad venandum, in Philosophia instituuntur. Constituit has artes ex Politia reipublicae suae, cui Leges scriberet. Plurimum absoluebatur illa Atticorum patria potestas effectibus quibusdam, quos ethica docuerat, videlicet Iure exigendi reuerentiam, obsequium, pietatem et alimenta. Sed an et dominium quoddam competit parentibus ex iure Attico in liberos suos, id saltem ambiguum videtur. *Ius vitae necisque habuisse patres Atticos ex Sext. EMPIRICO^{d)} et ANONYMO in*

HERMO-

^{b)} PETITVS ad Leges Atticas. p. 168.^{c)} IDEM ibidem p. 168.^{d)} EMPIRICVS Hypoth. L. III. p. 24.

HERMOGENEM^e) probat *Ezech. SPANHEMIUS*^f) sed in commercio fuisse et vendi potuisse liberos id teste PETITUS^g) prohibuit SOLON. Ait lex: Μη ἔξειναι δυογετέρας πωλεῖν, μήτ' ἀδελφὸς, πλὴν ὅν μὴ λάθῃ παρθένον ἀνδρὶ συγγεγενημένην. h. e. *Filiam aut sororem vendere nemini ius esto, nisi eam virginem cum viro concubentem deprehenderit.* Licet vero lex de *filia* vel *sorore* concepta sit, ipse tamen Petitus de *filio* intelligit. Vellem ut probasset aliunde. Forsan et hic sic progrediendum ut in PARATORE.^h) *Lex Romuli dederit patri in filiam vitae necisqne potestatem non excluso filio, ut optime monet Corn. van BYNKERSHOEK.*ⁱ) Licuisse vero parentibus vendere liberos ante Solonem, ipse concedit Petitus, quare putarem prohibuisse eum forsitan, ne filiae venderentur, quominus pudicitia detrimentum pateretur. Sed coniectura est. Supereft alia lex quae patriam potestatem graecorum probat, videlicet quae de abdicatione agit, sed deinceps eam interpretabimur.

Nec incognita patria potestas maioribus nostris, quam tamen magis positam habuere in iuribus reuerentialibus et obsequio iureque ususfructus, quam ut patri quoddam dominium concederent. Sed cum haec ad scopum nostrum haud pertineant, multaque in eam rem dixerit *Io. Theoph. HEINECCIVS*,^k) haec lubens prætermitto.

Superauit vero nulla unquam gens in determinandis iuribus et effectibus patriae potestatis Romanos, ut recte dixerit Imperator IVSTINIANVS.^l) *Ius patriae potestatis, quod in liberos habemus, proprium est ciuium Romanorum. Nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem quam nos habemus.*

B 2 Intel-

e) ANONYMVS in HERMOGEN. p. 355.

f) SPANHEMIUS in Orbe Roman. Cap. XXIII. p. 374.

g) PETITVS Comment. in Leg. Attic. p. 159.

h) PARATOR LL. Mosaic. et Roman. Tit. V. §. 8.

i) van BYNKERSHOEK de Iure occidend. liberos. cap. I.

k) HEINECCIVS in Element. Iur. Germ. Lib. I. §. 138. sqq.

l) IVSTINIANVS in §. i. I. de Patr. Poteſt.

Intellexisse sub *aliis hominibus* quidem videtur BORCHOLT^{m)} eos, qui in imperio romano fuerunt, nec tamen ciues, vt adeo ad peregrinos respexerit. Sed generalior est sermo imperatoris vt commode de aliis gentibus intelligi poslit non vero de iis tantum, qui in orbe Romano vt peregrini viuebant. Potest equidem excusari interpretatio Borcholti, si ad GAIUSⁿ⁾ ex quo prima verba petierat Imperator, applicemus, quod videlicet potestas illa propria sit ciuibus Romanis, oppositis peregrinis, quod poterat Caius, cum ante constitutionem diui Marci scriberet. At cum postea Caracalla omnibus, qui in orbe Romano essent, ius ciuitatis concederet, frustra fuisse haec Imperatoris obseruatio, in quam sententiam me deduxit Ezech. SPANHEMIVS.^{o)} Forsan nemo facilius hic dabit imperatoris mentem, quam ille ipse Institutionum compilator et Paraphrastes THEOPHILVS.^{p)} Scribit: "Ως ενιαὶ iuris ciuilis ἐσὶ τοῦτο τὸ νόμιμον. τὸ γὰρ κατὰ τῶν οἰνετῶν iuris gentium. i. e. Est ergo ius illud (sc. patriae potestatis) iuris ciuilis: nam potestas, quam in seruos habemus, iuris gentium est. Non differt a nostra interpretatione Theophilus, quippe sub iure ciuali ea intelligit, quae arbitraria sunt, et determinatio iurium potestatis patriae apud Romanos omnino originem arbitrariis debet. Sed dominica illa potestas in seruos et aliis gentibus nota, atque apud eos peraeque custoditur, hinc eam tribuit iuri gentium.

C A P V T II.

Patriam potestatem in pietate, haud vero in atrocitate consistere debere, docent quidem iura, licet prope omnem atrocitatem leges Romanae patribus iisque solis permiserint. Quid vnde potuit esse atrocius quam IUS VITAE ET NECIS, quod patres in suos habuere liberos, vnde facilime constat de causa, cur

patriam

^{m)} BORCHOLT ad §. 1. I. de Patr. Potest.ⁿ⁾ GAIUS in L. 3. ff. de his qui sui iur.^{o)} SPANHEMIVS in Orb. Rom. cap. XXIII. p. 373.^{p)} THEOPHILVS in Paraphr. ad §. 1. I. de Patr. Potest.

patriam illam potestatem toties paternam dixerint maiestatem. Tribuit originem huius effectus patriae potestatis VLFIANVS^{q)} moribus, sed iis, quos ex Legibus Regiis retinuerant. Solebant enim veteres Romani ea iura, quae leges regiae introduxerant, moribus tribuere, quippe exosum regii iuris nomen erat. Peruidit id quoque *Conr. RITTERSHVSIVS*^{r)} et omnium optime *Corn. van BYNKERSHOEK*^{s)} qui ut veram patriae potestatis originem ex Legibus regiis et maxime Romuli erueret atque probaret, consentientem adducit *PAPINIANVM apud PARIATOREM*^{t)} cuius verba sunt: *Cum patri LEX REGIA dederit in filiam vitge necisque potestatem. cet.* Satis vero de hoc effectu patriae potestatis dixit et *Gerb. NOODT*^{u)} et *Corn. van BYNKERSHOEK*.^{x)} Sed utriusque etiam de fine huius iuris solliciti grauem habuere litem. Hanc meam non facio, quamuis facile eandem componi posse arbitrer, maxime cum utrisque sententia quid veritati in se habeat, dixit tamen *Illustr. GEBÄVERVS*.^{y)} Sed ea ipsa Lex XII. Tabularum ex moribus seu Legibus regiis oriunda, quae ius vitae necisque romanis dederat patribus, aliud iisdem ius concedit. Finit hanc Legem *DATTIVS*^{z)} in hunc modum: *ENDO LIBERIS IVSTIS IUS VITAE NECIS VENUNDANDIQUE POTES- STAS EI ESTO. SI PATER FILIVM TER VENNDVIT FI- LIVS A PATRE LIBER ESTO.* Recte huius iuris vendendi liberos cum omni Patria Potestate dominio tribuit *Corn. van BYNKERSHOEK*^{a)} imo dominio illo quiritario, quod cuiuscius cui romano proprium in *res suas*, sub quibus adeo in legibus liberi comprehenduntur. Exposuit tamen latius hoc parentum ius ipse *Dattivus*

B 3 tius

q) *VLFIANVS L. 8. ff. de his qui sui vel alien. iur.*

r) *RITTERSHVSIVS Commentar. ad Tit. I. de Patr. Potest.*

s) *van BYNKERSHOEK de Iur. occid. liber. Cap. I.*

t) *PARIATOR in Collat. LL. Mof. et Rom. Tit. V. loc. 8.*

u) *NOODT in Julio Paulo et in Amica Responfione contra Corn. van Bynkershoek.*

x) *van BYNKERSHOEK cit. lib. et in Notis ad NODTII Amicam Responf.*

y) *GEBÄVERVS diff. de Patria Potest.*

z) *DATTIVS de Iure Vendend. liberos Cap. II.*

a) *BYNKERSHOEK de Iur. occid. lib. c. 1.*

rius, ut sic nihil addam. Neque tantum persona liberorum patribus noxa, verum et ipsa eorum bona. Regula erat, ut quicquid acquirerent liberi, patri acquirerent, quod ius vero postea iuris prudentia media, excogitatis variorum peculiorum speciebus, imminuit, de quorum origine dixit GALVANVS.^{b)} Produxit demum Dominium hoc patri competens vel maiestas illa domesticum iudicium. Sed de hoc deinceps dicamus.

CAPUT III.

Fuit apud Athenienses Lex: ΤΟΥΣ ΓΟΝΕΑΣ ΚΥΠΙΟΥΣ ΕΙΝΑΙ ΑΠΟΚΗΡΥΞΑΙ. h. e. Parentibus liberos abdicare ius esto, quam legem Rhetores, quod apud Lucianum, Libaniū, Quintilianum Senecam factum est, toties declamationum suarum fecere obiectum. Competisse Graecis patribus potestatem in liberos suos, liberis vero competisse iura familiae vel aliunde satis constat. Sed haec ipsa parentibus competentia iura id quoque continebant, ut suos domo pellere liberos possent, non quandocunque placeret patri, sed quando iusta probataque causa adeseret, quam δικαιόρειον approbauerat. Probat id LUCIANVS.^{c)} Οὐ γάρ, inquit, ἀπαστὸν πάτερ ὁ νομοθέτης, οὐδὲ πάντας νίκας, οὐδὲ ὄσταντι εἴθελωσι ἀποκηρύττειν συγνεχώρησε, οὐδὲ ἐπὶ πάταις αἰτίας. Neque enim legislator omnibus, o pater, istam potestatem permittit, neque uti quoslibet filios, neque quibuslibet de causis abdicent. Mox ipse subiicit: Καὶ διατοῦτο οὐν ἐλευθέρα σφῆ γίγνεσθαι, οὐδὲ ἀνερον τὴν τιμωρίαν· αὐτὸν εἰς δικαιόρειον ἐνάλεσε, οὐδὲ δοκιμασάς ἐνάθησε, τοὺς μήτε πρὸς ὄγγην, μήτε διβολὴν τὸ δικαιον κρινοῦντας. i. e. Ideoque iussit, ne libera esset aetra iudicium vindicta, sed ad iudices vocat et aestimatores constituit, qui neque per iracundiam neque per calumniam iudicent, quod iustum est. Publice vero fiebat atque ex lege vel in iudicio vel testibus

b) GALVANVS de usufructa Diff. var. cap. VII. p. 55.

c) LUCIANVS in Abdicato.

stibus adhibitis iisque tantum, qui ad familiam abdicandi haud pertinebant. Probari id potest ex LIBANIO.^{d)} Ait apud eundem morosus abdicans filium: Ἐξελῶ γὰρ αὐτὸ τῆς οἰκίας υπὸ μάρτυ-
σιν υμῖν· ἐπεὶ δὲ τοῦτο ἔδοξε τῷ Χρηστῷ νομοθέτῃ, μή ἐμὲ οὐριον
ἔνοι, ἔξωσται τὸν ἐμοὶ διαφέροντα, ἀλλὰ συμψύΦους λαβεῖν τοὺς
μῆτε τοὺς ἐμοῖς, μῆτε ἐμοὶ τι προσήκοντας. h. e. Expellam enim
ipsum aedibus meis coram vobis testibus, sed propterea, quod pro-
bo legislatori visum est, non in me situm esse, ut eiiciam eum,
qui mihi aduersatur, verum ut suffragatores eos accipiam, qui
nēque ad meos neque ad me quidquam attinent. Alienus est a Lu-
ciano PLATO.^{e)} Οὐ ἀν θυμὸς ἐπὶη μηδαμῶς ἐντυχήσ, εἴτ' οὖν
ἐν δίκῃ, εἴτε καὶ μὴ ὃν ἐτενέ τε καὶ ἔχεθρόφατο τοῦτον ἐπιθυμεῖν,
ἀπαλλάξαι τῆς ἀυτοῦ ξυγγενείας μὴ Φάντως οὕτως ἐξέσο μηδ'
εὐθὺς τοῦτο δρᾶν· πρῶτον δὲ συλλεξάτω τοὺς ἀυτοῦ ξυγγενεῖς μέ-
χει ἀνεψιῶν, καὶ τοὺς ὑπερ οὐσαύτως τοὺς πρὸς μητρὸς. Inter-
pretatur Marsilius Ficinus: *Quando aliquid infelici indignatione
commotus sive iure seu iniuria irascatur, quem genuit educavitque,
a cognitione sua cupit reiicere, non liceat leuiter subitoque id fa-
cere, sed primum generi sibi propinquos usque ad patruelis, pro-
pinquos item filios ex parte matris conuocet. Respiciendum quo-
que videtur Platoni ad maiorem votorum numerum.* Sed cum
Libanius extraneos Plato propinquos adhibendos putet testes,
potius Luciani sententiae me comitem adiungerem, cum Plato-
nen leges finxisse satis constet. Non vero nego Libanium quo-
que non agere ICTum, sed Rhetorem potius aut Sophistam, et sic
nec testem esse omni exceptione maiorem. Sed sunt conjecturae
et cum melior probatio deficiat, hac simus contenti necesse est.
Tantum vero certum est, patrem propria auctoritate filium abdi-
care non potuisse, nec potuisse id absque iusta et probata causa.
Prius probat LIBANIUS^{f)} addita simul causa, cur in iudicio fieri
debuerit

d) LIBANIUS Declamat. XXXVI.

e) PLATO de Legibus Dial. XI.

f) LIBANIUS in Declamat. XXXVIII.

debuerit, vel uti ante ipse sophista posuerat, testes adhibendi fuerint. Ait: Διὰ τοῦτο γάρ Φήσι παθίω διασῆγον ύφορώμενος τὴν τῆς πατέρων ὄργην, ἔξω πολάμις τοῦ δικαίου Φερομένην· ἐπεὶ δὲ τούνν τιμωρία τὸ γυγνομένον ἐστί, δειχθήτω πρὸ τῆς ζητίας τὰ πανουργήματα. i. e. Nam propterea, inquit, lex iudicium constituo, quod suspectam habeam parentum iram, qui saepe iuris septa transiliunt, quoniam igitur supplicium est, quod fit in abdicatione, maleficia ante mulctam doceantur. Posterius contra vel ex hoc loco patet, cum saltem permittam dicat abdicationem propter πανουργήματα. Consentit PLATO^g) verbis: ιατηγορέτω δι' ἐν τούτοις διδάσκων ὡς ἀξιον ἀπασιν ἐκ τοῦ γένους ἐπιεικῆς χαρα. i. e. Apud quos accuset filium, ostendat, dignum esse, qui a propinquis suis depellatur. Nemo vero melius τὰ πανουργήματα et sic abdicationis causas explicat, quam ipse LIBANIUS^h) cum abdicatum sic loquentem inducat: Αλλ' οὐ λάγνις, οὐδὲ ἀσωτος, οὐδὲ πυρονόπος εἰμί· οὐδὲ ουβείᾳ προσέχω τὸν νοῦν· ἐπὶ τούτοις ὀποιηρύττειν ὁ νομοθέτης ἐνέλευσεν. Interpretatur: At neque lascivus, neque prodigus, neque scortator ego sum, neque aleae mētē adhibeo, his de causis legislator abdicare iubet. Et apud EVNDEMⁱ) filius abdicandus obiecit patri: Μεθύοντα λαβῶν ἀγανάκτεις; ἐπιεΦορῷτά τι τῶν ἔνδων; ουβένοντα; πόρην ἔχοντα; ἀλλ' εἰς σεαυτόν τι πεπαρωνηότα; οικῶς ἔπων; ἀναδές υπέβλεψα; πληγὰς ἤπειλησα; ἥπιασόμην πρὸς τὸν πλησίον; σημαῖον ἀπειάσεσα ηλή τραχύν ἀρέωδοντος ιατημέλησα; ταῦτα ἐπίδειξον. transcribunt: An succenses, quod me temulentum deprehenderis? an quod amouerim aliquid ex iis, quae domi erant? an alea ludentem? an scorta habentem? an vero procacitate et insolentia usum apud te? Sumne conuiciatus? an impudenter intuitus? an verbera minitatus? an apud vicinos accusavi? an imperitum, rudem et asperum vocavi? an aegrotantem contemsi? haec proba.

Nec

g) PLATO de Legibus Lib. XI.

h) LIBANIUS in Declamat. XXXVI.

i) LIBANIUS Declamat. XXXVIII.

Nec defuerunt effectus ἀποιηρύζεως. Abdicatus enim ea omnia familiae successionisque iura amitterebat. Docet effectus LVCIANVS^{k)} Καὶ μοι τοιαῦτα παρὰ τοῦ πατρὸς ἦν πρὸς τὸ μαθεῖν ἐφόδια λύπη καὶ ἐργασία καὶ ἀπορία μίσος οἰνειων καὶ ἀποσροφὴ συγγενῶν. i. e. Nam abs te patre mibi ad discendum dabatur huiusmodi viaticum, molestia, solitudo, egestas, familiarium odium, cognatorum auersatio. Docet alios effectus praeter hos apud LIBANIVM^{l)} pater filium suum abdicans. Ait: οὐ βούλομαι τοῦτον εἶναι τῶν ἔμων ὑληρόνυμον. i. e. Nolo enim eum habere meum heredem. Adde, quae affert Sam. PETITVS.^{m)} Fiebat abdicatio formula solenni, quam ille ipse Libanius exhibit. Τουγαροῦν ἀπαλλάττον μὲν σεννων καὶ οιμώζων καὶ μηδενὸς ὡν κύριος. i. e. Quamobrem discede a me gemens et lamentans et nullius rei dominus. Prouocat præterea Sam. PETITVSⁿ⁾ ad locum HESYCHII, cuius verba sunt: ἀποιήστως, ὁ ἐπὶ ἀμαρτήμασιν ἐνπεσων τῆς πατρώας οἰνίας. i. e. Abdicatus, qui propter peccata decidit ex patria familia seu domo. Nunquam vero cum produxit effectum abdicatio, ut abdicatus simul iura ciuitatis amitteret, si PLATONI^{o)} fides habenda. Ait: πᾶς ἀποιευηγρυένος οὖν ἢν ἐξ ἀνάγνης ἀπολισ εἴη. i. e. Abdicatus filius obinde non cogitur extra ciuitatem esse. Respxit ad hanc abdicationis ceremoniam LYCOPHRON.^{p)} qui sic cecinit:

Ο μὲν πατρὸς μομφαῖσιν ἥλασερημένος υψηλὸς
ἄτρων.

Primus quidem patris criminibus expulsis antris
Cychrei.

Duplex demum abdicationis genus constituit QUINTILIANVS:^{q)}
Abdicationum, inquit, formae sunt duae: altera criminis perfecti,

alioquin illi in abdicatione rite ut, ut,

k) LVCIANVS In Abdicato.

l) LIBANIVS Declamat. XXXVI.

m) PETITVS in Legibus Atticis. p. 158.

n) PETITVS cit. loc.

o) PLATO de Legibus Lib. XI.

p) LYCOPHRON. v. 450.

q) QUINTILIANVS Decl. CCLXXI.

vt, si abdicatur adulter, raptor. Altera imperfecti, veluti pendentes et adhuc in conditione positi, quales sunt, in quibus abdicatur filius, qui non pareat patri. Sed haud per video, quae inter utramque formam illam abdicationis fuerit differentia. Is, qui abdicatus exul quidem erat ex familia, sed cessabat illud exilium, simulac cum patre in gratiam redierat, quo facto sua quoque pristina recuperabat iura. Dicebant hoc ἀναλογιζόντες τοὺς γένους, quod probat M E V R S I V S^{r)} et C A S A V B O N V S^{s)} qui et idem ex Quintiliano probat, abdicatos exiles domus suae, illos vero, qui iterum in familiam recepti erant, reduces dici. Quare cum haec ita sint, abdicatione videtur actus legitimus quo pater solenniter filium inter viuos propter delicta commissa ex familia sua abiicit eumque amplius filium esse negat. Iam videamus, quid apud Romanos obtinuerat!

C A P V T III.

Patrium illud ius patriamque potestatem, quae Romulo originem debet, nemo accuratius exhibuit DIONYSIO HALICARNASSENSIS.^{t)} Ait: "Ο δέ τῶν Ρωμαίων νομοθέτης ἀπασαν, ὡς εἰπεῖν ἔδωκεν ἐξουσιαν πατρὶ πατέρος, παῖς πατέρα τὸν τοῦ βίου χρόνον, ἐάν τε εἴργειν, ἐάν τε μαστιγοῦν, ἐάν τε δέσμιον ἐπὶ τῶν κατ' ἀγρὸν ἔχοντων κατέχειν, ἐάν τε ἀποτινύνοι προαιρῆται, πᾶν τὰ πολιτικὰ πράττων ὁ παῖς ἡδη τυγχάνῃ. Ι. τ. λ. Romanorum autem legislator omnem, ut breuiter dicam potestatem patri dedit in filium, idque toto vitae tempore, siue in carcerem eum destrudere, siue flagris caedere, siue vinculum oblegare ad rustica opera, siue necare libeat; etiam si filius tractet rem publicam. caet. Non tantum dominium quiritarium patri competit in filii personam, hinc ius vendendi, ius vitae necisque, ius acquirendi per filium

r) MEVRSIUS ad Lycopronis c. 1.

s) CASAVBONVS ad Laertium L. I. n. 94.

t) DIONYSIUS HALICARNASSENS. Hist. Rom. L. II. 111. 111. 111.

filium eiusque actiones dirigendi; sed et *iudicium domesticum* in suos suaeque potestati subiectos exercet. Venit inde ut pater filium in carcerem deiicere, flagris caedere et ad rustica opera ablegare potuerit. Forsan ex hac iudicandi potestate orta Lex Romuli alia, quam exhibet et probat *Christ. Godfr. HOFFMANNVS*,^u) vi cuius *maritus vxorem, quae peccasset, ex suo arbitrio punire* poterat. Cum enim *vxor romana frueretur iuribus filiae familias*, eo facilius hoc adfirmari poterit. Antiquissimum hoc est iudicium, cuius iam *P. Horatius* in defensione filii sui *Curiatorum Victoris*, sed sororis occisoris mentionem facit apud *LIVIVM*.^x) *Moti homines sunt in eo iudicio maxime P. Horatio patre proclamante se filiam iure caesam iudicare, ni ita esset, PATRIO IURE in filium animaduersum fuisse.* Nec desunt exempla alia iudicij paterni. Sic apud *VALERIVM MAXIMVM*^y) *Cassius Viscellinus filium suum adhibito propinquorum et amicorum consilio affectati regni crimine domi damnauit: verberibus affectum necari iussit ac peculium eius Cereri consecravit.* Clarius exemplum est *Manlii Torquati* apud eundem *VALERIVM*^z) et *FLORVM*.^a) Cum enim Macedonia prouincia romana ad Senatum de filio Silano querelas per legatos detulisset senatusque causas cognosceret, petiit a patribus conscriptis, ne quid ante de ea re statuerent, quam ipse Macedonum filiique sui causam inspexisset; Mox pergit: *Solus pater remoto necessariorum consilio utrique parti per totum biduum vacauit et tandem demum tulit sententiam.* Potuit ergo pater vi potestatis suae varias in suos statuere liberos poenas, inter quas quoque fuit abdicatio, qua pater filium expelleret ex domo sua suisque penatibus et sacris domesticis. Idem placet *SCHVBARTH*^b) qui nobiscum consentit. Formula fiebat id

C 2

solenni

^u) *HOFFMANN, in Collect. Leg. Reg. in Hist. Iur. Vol. II.*^x) *LIVIVS Hist. Rom. Lib. I. c XXVI.*^y) *VALERIVS MAXIMVS Dict. fact. memor. Lib. V. c. 8.*^z) *IDEM cit. loc.*^a) *FLORVS Epitom. Liuui. ad Lib. LIV.*^b) *SCHVBARTHVS de fat. Iurisprud. Exercit. I. p. 105.*

solenni, quam sic concepit QUINTILIANVS:^{c)} DISCEDI DE DOMO MEA; vel vti eam concepit VALERIVS^{d)} in causa Silani: FILIVM REPUBLICA ET DOMO MEA INDIGNVM IV-
LICO PROTINVSQVE E CONSPPECTV MEO ABIRE IVBEO.
Sicut plerumque poenae excogitatae ideo, vt emendantur im-
probi, hinc apud QUINTILIANVM^{e)} dicitur *fili emendatio*. Cum
vero iusta patris ira delictis filii commota abdicationis causa fue-
rit, hinc ea apud CALPVNIVM FLACCVM^{f)} *ira domestica*
appellatur. Falsus mihi videtur CVIACIVS,^{g)} qui *abdicationem*
iure romano probatam non fuisse statuit. Concedo equidem ex-
pressè in verbis legum eam fundatam non esse; sed cum sit effe-
ctus iudicij domestici paterni, concessam simul habeamus eam ea
lege, qua patrium iudicium comprobatum, necessè est, sal-
tem non prohibitam lege publica. Verum est abdicationem non
ad legis praescriptam formam fuisse peractam, vt ideo legitimus
actus non sit, peracta tamen est ex arbitrio et sententia iudicis
domestici lege non prohibente. Petr. BVRMANNVS^{h)} satis
manifestum esse negat, Romanis vstatam fuisse abdicationem. Af-
firmat viros doctos nullum adferre exemplum, quod doceat Grae-
corum abdicationi respondere Romanam. Putat voce abdicationi
impropriè vsos esse autores classicos. Sed mallem abdicationi
factae a Romanis suum restituisset nomen. Verum est, abdi-
cationem Romanam non conuenire cum ἀπομηχεως solennibus,
si id respicias, quod fuerit graecis actus legitimus, non aequè ro-
manis. At si effectus diiudices, haud Burmannus me habebit
consentientem. Poena erat Graecis vtiique Romanis, tollebat
omnia familiae iura et apud Athenienses et apud Romanos. Dif-
ferentiam tamen fuisse inter vtramque lubenter concedo. Si ri-
tum

c) QUINTILIANVS Declamat. CCLIX.

d) VALERIVS cit. loc.

e) QUINTILIANVS Declamat. XVII.

f) CALPVNIVS FLACCVS Declamat. XVIII.

g) CVIACIVS ad L. VI. Cod. de patr. pot.

h) BVRMANNVS ad Quintiliani Instit. Orat. L. VII. c. IV.

cum Graecorum eiiciendi filium ex familia abdicationem, Romanorum vero patrum sententiam de expellendo filio in domestico iudicio latam ἀπονήγουξιν voces, improprie vtrumque dictum arbitror, non aequae, si rem exprimas voce cuius genti propria. Deduxit me in hanc sententiam Rescriptum DIOCLETIANIⁱ⁾ Imperatoris, quippe ibi scriptum; *abdicationem* (sc. eam) quam Graeci ἀπονήγουξιν dicunt. caet. Aliud verbum non aderat, quo Graecorum illum actum exprimerent Romani. Proprio ergo significatu vtuntur scriptores classici hoc verbo, si de romani patris sententia lata loquuntur. Improprie vero locutus esse autores probari posse putat Burmannus exemplo ex SVETONIO^{k)} al-lato. Dicitur Augustus Agrippam ob ingenium sordidum ac ferox abdicasse se posuisseque Surrentum. Habet hoc, ut suam probet coniecturam, emancipationem, cuius mentionem facit THEOPHILVS PARAPHRastes,^{l)} apud quem scriptum est: Τι γαρ ὅτι ή ἐπιβούλευτε τῷ θετῷ πατρὶ η ἐτερόν τι ἐπράξε, ὡπερ ἀξιον ἔωτὸν ἐποιει τοῦ ἐνθλιθῆναι τῆς τοῦ θετοῦ πατρὸς ὑπεξουσιότητος. u. τ. λ. exponit Curtius: Quid enim si aut patri adoptiū insidias fecerit, aut aliud quid egerit, propter quod merito ex adoptiū patris potestate abiici debeat? Vocat Burmannus emancipationem ob delictum. Sed si hic veram subintellexisset illam emancipationem romanis alias frequentem, cur vtitur Theophilus phrasι ἐνθάλλειν τῆς τοῦ πατρὸς ἐπεξουσιότητος, cum paulo ante usus fuerat formula ποιεῖν ἐμαγνηπάτον et aliis locis verbo ἐμαγνηπατένειν? Nec proprie in poenam emancipationem fieri euincit Franc. CONANVS,^{m)} qui affirmat, non poenae, sed summi beneficii loco solere dari emancipationem. Cur vitae insidias vel aliam iustam causam exegerat Theophilus, ex qua dignus esset filius, qui patria excideret potestate? Nulla emancipationis proprie alleganda causa. Haud peruidit Vir Summus, singulare hic

C 3

esse

i) DIOCLETIANVS in L. VI. C. de patr. potest.

k) SVETONIVS in Augusto. Cap. LXV.

l) THEOPHILVS Paraphr. Inflit. Lib. I. Tit. XI. §. 3.

m) CONANVS Comment. Iur. Civil. Lib. II. Cap. XIII.

esse aliquid in arrogato antea impubere, quem postea pater arrogator emancipaturus est, quae emancipationis species ex constitutione d. p. i prouenit, quaeque a reliqua emancipatione in hoc differt, quod sine iusta causa fieri nequeat. Sed redeamus ad Agrippam abdicatum. Sensu proprio locutum arbitror Suetonium. Venit haec abdicatio ex domestico patris iudicio, vique sententiae in eo latae non solum eum ex familia eiecit, sed et Surrentum seposuit. Ritus itaque, quo liberi a parentibus inter vivos ob maleficia ex familia eiiciuntur, quamue pater exercet vi suae potestatis tanquam iudex, proprie abdicatio dici potuit, improprie vero ἀπονήγεις dicta fuisset, quod vtriusque populi ideae tunc forsan confusae fuissent. Nec solius Agrippae adest exemplum, adsunt et plura. Sic abdicauit T. Manlius Torquatus iudex domesticus filium suum Silanum apud VALERIVM.ⁿ⁾ Enī ipsam huius iudicis sententiam: *Cum Silanum filium meum pecunias a sociis accepisse mibi probatum sit, et republica et domo mea indignum iudico protinusque e conspectu meo abire iubeo.* Coniungebat hic seuerus iudex relegationem cum abdicatione. Sic voluit Caesar apud eundem VALERIVM^{o)} vt Caesetius filium suum abdicaret, qui vero ideo, vt negaret, Dictatori respondit: *Celerius tu mibi Caesar omnes filios meos eripies, quam ex his ego unum NOTA PELLAM mea.* Docet hic ipse Caesetius, ignominiosam fuisse illam abdicationem, et recte, cum in poenam fieret, quod fecus in emancipatione. Bellissime ergo sentit AERODIVS^{p)} eum, qui omnem omnino prohibitam fuisse abdicationem assereret, ignoratione historiae aberrare. Nec adeo improbanda est ipsius interpretatio, quasi demum hoc abdicandi genus abierit in desuetudinem et abdicationum causae in exheredationem reiectae sint. Probabile in eo est, cum causaria cetera esse exheredatio, quae quondam libera fuerat. Notat praeter

ⁿ⁾ VALERIVS Lib. V. cap. VII.^{o)} IDEM cit. loc.^{p)} AERODIVS ad Quintilian. Declam. CCLX.

terea HOTMANNVS,^{q)} abdicationem non fuisse modum soluendi patriam potestatem, quod quidem verisimile redditur, cum Torqua-
quatus adeo filium suum e republica eiiciebat, quod vix potuif-
set, si patria cessasset potestas. At non cessabant iura a parte
patris, sed amittebat filius abdicatus iura filii. Sed de hac sententia
adhuc dubito. Iam tandem videamus quid voluerit sibi Diocletianus.

C A P V T V .

Rescripere DIOCLETIANVS^{r)} et MAXIMIANVS A. A.
Hermogeni in hunc modum. *Abdicatio, quae graeco mo-*
re ad alienandos liberos usurpatur et ἀποκένεται dicebatur, Ro-
manis legibus non comprobatur. P. P. XVII. Kalend. Decembr.
Maximiano A. II. et Ianuar. Coss. Notat PETITVS^{s)} mendum
esse in Consulum nominibus, quare probat MAXIMVM II. cum
IANVARIO CONSULES fuisse. Ad Graecum hominem datum
fuisse hoc rescriptum, patet ex Hermogenis apposito nomine.
Alienare forsitan voluit hic ipse Hermogenes filium suum more
gentis sua, mota est propter illam ἀποκένεται lis forsitan a filio,
aut adit precibus supplicibus Imperatores filius ipse quaerens, an
cum constitutio Caracallae omnes ciues efficerit, qui in romano
orbe viuerent, actus genti Graecorum usitatus validus esse pos-
fet. Rescribunt utriusque, hanc abdicationis speciem romanis
legibus, ad quarum tamen nutum actus legitimi expediendi, non
comprobari. Commendant hanc interpretationem ipsa rescripti
verba. Non agunt de Romana abdicatione seu poena a patre
iudice domestico liberis inficta, sed de ea, quae Graeco more
ad alienandos liberos usurpatur eaque quae graecis ἀποκένεται
dicitur. Non ergo opus, ut CVIACIVM^{t)} sequamur, qui affir-
mat, ciues Romanos interdum usurpare more peregrino non
proprio.

q) HOTMANNVS in Partit. Iur. X, 10.

r) DIOCLETIANVS et MAXIMINIANVS in L. VI. C. de Pat. Pot.

s) PETITVS ad Leges Atticas cit. loc.

t) CVIACIVS ad L. VI. C. de Pat. Pot.


proprio. De Romanorum enim abdicatione plane apud Imperatores sermo non est, quam confundit Cuiacius cum Graeca. Nec accurate peruidit hoc DVARENVS^u) qui sic scribit: *Non vult Diocletianus, non fuisse aliquando hanc abdicationem a Romanis usurpatam, sed ait, non fuisse comprobatam.* Nec haec, de qua in rescripto agitur apud Romanos usurpata fuit ἀποκήρυξις, sed alia ut supra monuimus. Graeca enim ex Lege veniebat, Romana vero a iudicio paterno pendebat. Illa actus legitimus et publicus, haec priuatus, quippe adeo remotis fieri potuit propinquis et testibus. Caeterum difficile est, ut confundas cum exheredatione, quae videlicet viuo patre nunquam effectum habuit, sed eo demum mortuo vires cepit, neque unquam patria sustulit iura.

At plura addere iam non libet. Nec addam quidquam de usu hodierno, quippe nec foris nostris plane incognitam esse, probari posset; haud enim raro fit, ut pater iuribus suis in filium, qui delictum commiserat, renuntiet formula vulgari: *ich erkenne ihn nicht mehr vor mein Kind.* Saltem simile negotium videtur abdicationi. Diximus, saltem quid nobis visum sit, meliora vero semper probabimus.

u) DVARENVS in Tit. II. Lib. I. Digestor.

T A N T V M.





ribaret testator filios, testamentum postea rescindet
ela inofficiosi testamenti, siveque intestatus decede-
, ut ergo id euitaretur, remedium inuentum nonnulli
si inter viuos bona aliis donarent, quo factō si ni-
is supereffet, nihil veniret ad liberos, quibus anti-
at remedium, cum testamentum haud aedeset, do-
ro inter viuos firmae atque irreuocabiles essent, quo
bonis paternis consequi possent liberi. Patet id ex
inoffic. donat. ex verbis: Si, ut allegatis, mater ve-
dendam inofficiosi querelam, pene vniuersas facultati-
um ageret in rebus humanis, factis donationibus siue
liberos, siue in extraneos, exhaustis; caet.

§. IV.

anc ergo fraudem infringendam legi factam, quae
imam constituit, postea introducta est *querela in-*
nationis, qua rescindebatur donatio in fraudem suc-
legitima facta. Argumentum huic iuri introduc-
t *querela inofficiosi testamenti*. Hinc **V A L E R I A-**
L I E N Y S in *L. 2. C. de inoff. donat.* expresse re-
d similitudinem *inofficiosi testamenti querelae auxi-*
quitatis impertiet. Porro **I m p p. D I O C L E T I A-**
X I M I A N V s in *L. 4. C. eod.* hocce remedium ad-
diccas donationes vocant *auxilium ad instar inofficii*
ti. Amplius **I idem in L. 6. C. eod.** rescribunt: *De*
onationum ad exemplum inofficiosi testamenti praeses
irisdictionis suaee partes exhibebit.

§. V.

batur ergo ab iis, qui in legitima immodica dona-
t mortuo parente donatore, facta donatio inter

A 3

viuos.




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 011
Patch Reference numbers on UTT